



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 54. Fœdus inter Papam, Venetos, & Mediolani Ducem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sæcul. XV.  
A. C. 1493.

armis potentiores quam Florentinorum Rempublicam noverat: Igitur suos Oratores ad Venetos ablegat, qui ad Senatum admissi exponebant, Florentinorum foederi fortiorem opponendam esse armorum societatem, eique Papam prompta voluntate accessurum: Huic, si Veneti sua quoque jungerent auxilia, certo Italiae quietem reddendam fore, cum Foederati hostibus potentia superiores evaderent. His auditis sperabant Veneti, quod ipsis imperii sui fines protendendi occasio offerretur, atque ex Neapolitanorum ac Florentinorum spoliis pinquiorem portionem aucupari possent, eoquod ipsi soli auxilia longe validiora, quam Papa unacum Ludovico suppeditare valerent; igitur hac spe freti, benignas Ludovico aures præbebant. Nec tamen ultimum hac in re responsum dare præcipites festinabant, veriti, ne Pontifex, ut non raro solebat, datam fidem frangeret.

§. LIV.

*Fœdus inter Papam, Venetos, & Mediolani Ducem.*

Tandem Ludovici consiliis cedere decreverunt Veneti, postquam ex urbe Constantinopolitana nuncium acceperant, quod Bajazethes in illos bellum pararet: Nam

Nam hunc ab hoc proposito haud effi- Sæcul. XV.  
A.C. 1493.  
 caciùs dimoveri posse præsenferant, quam  
 objecto triplicis foederis timore; rem  
 enim sibi fore, si Venetos aggredetur,  
 cum tribus potentissimis Italiæ Principi-  
 bus haud ignorare poterat Bajazethes.  
 Hac ratione permoti novam societatem  
 amplexi sunt, quæ Mense Aprili hujus  
 anni utrinque firmata est: Fama hujus  
 foederis sparsa, univèrsa Italia admiratio-  
 ne suspensa hæsit. Equidem Ferdinan-  
 dus, & Petrus de Medicis, si ad primos  
 hosce rumores arma sumere festinassent,  
 rebus suis plurimum consulissent; ast  
 morosior cunctatio, qua Cardinalis S. Pe-  
 tri ad vincula consilio immorabantur, eos  
 spe sua delusit; hic enim Sixti IV. Ne-  
 pos, atque juratus Alexandri VI. hostis  
 nil firmitus sibi persuadebat, quam Papam  
 in ejus exitium conjurasse; quapropter  
 conclavi soluto Ostiam, cujus Præfectu-  
 ram, atque Episcopatum tenebat, auffu-  
 git, arcemque valido præsidio munitam  
 ingressus est, concepta spe Columnenses,  
 quibuscum ipsi arctior esset necessitudo,  
 illum inde liberaturos, aut saltem, si ob-  
 sideretur, opem laturos, ut tuto vim effu-  
 gere posset: Ut verò Papæ consilia pe-  
 nitus everteret, eique sibi nocendi copiam  
 eriperet, Columnenses inter & Ursinos,  
 quos inter a pluribus sæculis invetera-  
 tum fervebat odium, concordiam, pacem-  
 que

Sæcul.XV.

A.C.1493.

que conciliabat, qui omnes restituta amicitia, ut Romam ex insidiis caperent, communi consilio decreverant; placuit eorum sententia Petro Medicæo, necnon Alphonso Calabriæ Duci, cui datum est negotium, ut justo copiarum numero opportune admoto urbem cingeret. Verum Ferdinandus haud temere verebatur, ne Cardinalis S. Petri ad vincula Romam occupasse haud contentus esset, sed odii stimulis agitatus ad extrema quæque prolaberetur, hinc ejus consiliis acquiescere renuit.

Quinimo Ursinos quoque ab illius partibus abstractos in Pontificis gratiam reduxit, quamvis, ut planiorem huic reconciliationi viam sterneret, amittere cogeretur quadraginta millia aureorum, quos Virginio mutuos dederat, ut hic illos Principi Cibo numeraret; nam Ferdinandus Virginium induxerat, ut eosdem Principatus, quos a Cibo emisset, summo Pontifici redderet, atque in compensationem damni Apulienſis Provinciæ terras, quæ Principatum valorem æquarent, cederet. His concordiæ pactis Ludovici foedus vix non conclusum jam eodem ferme momento rescindebatur, quod quidem molestissime ferebat Ludovicus, nec tamen animo fractus, Galorum societatem expetere tentabat.